



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Oratio De Gratitvdine

Stiebar, Georg Sebastian

Lavingae, 1581

VD16 S 8992

urn:nbn:de:hbz:466:1-12334




L. VI

9

Th. 5859.





ORATIO
DE GRATI-
TVDINE.

Et Legato Celsi Principis Ferdin: Epi Paderb: et Monaste,
Recitata *1683*

A GEORGIO SE-
BASTIANO STIBARO, A PV-
tenheim, EQ. Franco. In Collegio
Lauringano.

Collegij Socii S: S: Paderb:



ANNO M. D. XXCI.

AD
MAGISTRO
D. I. R. A.

PROBATORIO
NICOLAUS
Kell



AD NOBILIS-
SIMUM, ET VIR-
tute, sapientiaque clarissimum
virum, Ioannem Foachi-
mum Stibarum, EQ.
Francum &c.

NICOLAI REVSNERI
Rect. Epistola.



AVDEO VE-
hementer pro-
bari tibi confi-
lium meum, E-
ques nobilissi-
me: de GEORGIO SEBASTI-
ANO filio studiorum causa,
in Gallias mittendo: neque
sanè adhuc iudicium de eo
A 2 muto

muto meum: quod ab optima fide, & optimo animo profectum dubitare nō debes. Quod vt planiùs tibi exponā: tametsi alieno consilio haud indiges, vel abundas potiùs: paulò altiùs sentētiā animi mei repetam necesse est. Quintus iam, vt nosti, exijt annus Idibus Februarijs: quo filius tuus admodum puer in scholam hanc, tanquàm ad mercaturam bonarum artium, profectus est: idq; voluntate tua potissimùm, & auctoritate viri clarissimi, IOACHIMI CAMERARII: quem honoris, & memoriæ causa nomino: de cuius sentētia, etiam
annis

annis superioribus, summo ingenio, summaque virtute filios tres, ALBERTVM, GEOR. HENRICVM. & PANCRATIVM huc miseras: & aliquot annis post, his in Italiam & Galliam ablegatis, quartum filium tuum IOAN. PHILIPPVM, modestum iuuenem, & officiosum: qui profecto omnes ex hoc gymnasio cum virtutibus, tum etiam doctrina ita ornati discesserunt: ut summam nobis spem fecerint summæ aliquando prudentiæ, summæque industriæ in iuuanda, ornandaque Repub. Christiana. Quorum exemplo GEORGIUS SEBASTIANVS, filius tuus natus

A 3 mini-

minimus, de quo iam sermo
institutus est, in hac palestra
virtutis, & literarum, per to-
tum illud quinqueniū ita
nobiscum vixit: vt omnibus
diligentiam, & modestiam
suā probaret: facileq; osten-
deret, sibi doctrinam, absq;
morum probitate, bonis in-
genijs indignā videri. Ac di-
ligentiam quidem suam in
discēdo satis mihi compro-
basse videtur: progressibus
studiorum per quatuor clas-
ses Collegij nostri: in qui-
bus sermonis artes non mo-
dò Latini, & puri, verū
etiam disertī, atque ornati,
studiosē cognouit, atq; per-
didicit: perceptis vnā obiter
primis

primis fundamentis, atque
elemētis Iurisprudentiæ: vt
facilè eum his probationi-
bus vernis, ad publicos or-
dines transcendere potuisse
existimē. Modestiæ verò, &
probitatis in eo nō leue ar-
gumentum est: quòd & obe-
dientiæ erga leges, & reue-
rentiæ erga præceptores sin-
gularem laudem consecut⁹
est: quorum ipse non modò
reprehensionem, atque ani-
maduersionē effugere sem-
per potuit: sed omnium eo-
rū, qui scholæ præfunt, gra-
tiam, & amorem rectis sibi
rationibus comparauit. Cu-
ius profectò conatus si Deus
Opt. Max. benignè adiuue-

A 4 rit:

rit: vt cursum eum studiorū,
in quo nunc est, possit con-
ficere: sanè de eo polliceri
mihi posse videor: fore eum
aliquando magno Reipub.
ornamento, atque præsidio.
Sed quoniã in homine no-
bili, quem & literatū, & po-
liticum, id est, ciuilis sapiē-
tiæ peritū, esse oportet: præ-
ter literarum & virtutis do-
ctrinã: linguarum quoq; pe-
regrinarū cognitio, & pluri-
marum rerum vsus atq; ex-
perientia requiritur: quò &
domi iucundus, & foris ac-
ceptus, & publicè honorat⁹
utilisq; aliquãdo esse possit:
fatis equidem mihi & æta-
te, & iudicio maturus esse
videtur

videtur filius tuus: qui ex
vmbra hac, & solitudine
Musæi, in lucem, & frequen-
tiam hominum tãdem pro-
grediatur: quiq̃ue exemplo
Vlyssis Homerici, multorũ
hominũ mores cognoscat,
& vrbes: præsertim quũ non
modò socios, & comites stu-
diorum, & veluti commili-
tones, ad maiorem incitati-
onem, æmulationemq̃; vir-
tutis, habiturus sit optimæ
spei, summæq̃; expectatio-
nis adolescentes nobiles
Pappenhæmios: verũ etiam
moderatoreũ diligentẽ,
ac prudentem: qui sua eos
virtute, & disciplina in offi-
cio contineat. Quanquã,

A S Vt

vt ego haëtenus filium co-
gnoui tuum, suapte virtute,
& disciplina facilè, vt confi-
do, in officio se ipse conti-
nere poterit: quod in ma-
gna laude meritò ponendū
est. Vnum hoc monendum
cum esse puto: vt cū eorū,
quæ haëtenus didicit, me-
moriam fideliter custodiat,
& retineat: tūm verò ea quæ
ad ciuilis scientiæ perfectio-
nem, quæ nobilitatem ma-
ximè decet, adhuc defunt,
quotidiè addat: cuiusmodi
sunt historia, & morum, vir-
tutisq; doctrina, legumq;
sapientia: à qua non exclu-
di debet religio, & eloquen-
tia: quarum illa sanctam,
hæc

hæc iucundam, & ambæ cō-
iunctæ salutarem efficiunt
hominum inter se societa-
tem: quam si filius tuus, vt
spero, consequetur: nemini
dubiū esse potest, quin ma-
gna aliquando & patriæ, &
genti, familiæq; vestræ or-
namēta allaturus sit. Quod
reliquum est, EQUES amplif-
sime: tibi, vt debeo, gratu-
lor, cū præsentī, tū etiā
sperata liberorum felicitate
tua: quæ vt tibi perpetua,
maximeq; diuturna sit: Deū
immortalem quæso. Vale.

Lauingæ. VII. KAL.

MARTIAS.

M. D. XXCI.

DE GRATI-
TVDINE,
ORATIO

A GEORGIO SE-
BASTIANO STIBARO A PV-
zenheim, Eq. Franco, publicè Lauingæ reci-
tata: in suo è schola in patriam
discessu.



I EA IN ME AVT
ingenij vis esset, aut di-
cendi facultas: quam lo-
ci huius amplitudo, &
dignitas requirit: Rector
Magnifice, Generosi Ba-
rones, Concio ornatissi-
ma: nihil profectò me hoc tempore impedi-
ret: quò minùs liberè ad vos verba facerem:
& animi mei sensa, cogitationesque oratione
plenè perfecteque explicarem. Sed quum
omnibus rebus, que ad dicendum pertinent,
& natura me destitutum: & per ætatem, vsu
atq; doctrina minimè adeptum intelligam:
non possum equidem non commoueri ani-
mo, & vehementer perturbari: & ob eam cau-
sam

DE GRATITVDINE.

fam theatrum istud Academicum magnopere reformidare : in quod nihil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, doctrina præclarum solere afferri satis compertum habeo. Quòd nisi vestra me cunctantem, & quasi verecundantem sustineret humanitas, atq; beneuolentia : facile equidem futurum existimarem : vt vel animo planè deficerem : vel ex hoc loco inorata causa turpiter decederem : qua equidem fretus, & in officio meo confirmatus : hoc quicquid est negotij, & laboris, eò fidentiùs, & alacriùs in me recipio : & vos omnes, quotquot adestis, rogo atque obsecro : vt bona cum venia mea verba audiatis : & industrię meæ, quantulacunque illa fuerit, amicè benigneq; faueatis. Dicam autem de pulcherrima illa, longeq; maxima virtute : quæ Gratia, siue Gratitude dicitur : in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur. Quæ sanè virtus cum vniuersis hominibus, tum verò maximè literarum studiosis perutilis, & pernecessaria est. Quod ego paucis vobis, **AVDITORES**, demonstrare : & quantum ingenij mei imbecillitas, temporisque ratio feret ; præclarissimæ huius virtutis cum dignitatem, tum necessitatem ostendere conabor. Nam quid quæso primùm dignius, aut præstabilius esse potest ea virtute : quæ &
Deo

ORATIO.

Deo acceptissima, & hominibus iucundissima est: quæque non solum virtus ipsa maxima: sed & mater est virtutum omnium reliquarum: & materia, ac veluti seges omnis laudis, atque gloriæ: ex qua, tanquam ex augustissimo fonte, omnis honestas, omneque decorum redundat? Ac primum quidem neminem vestrum arbitror dubitare, **AUDITORES:** Deum Opt. Max. mirifice delectari beneficij gratia: quam non modo sibi potissimum declarari: sed & alijs bene meritis referri, aut saltem animo haberi postulat. Etenim quum inter omnes constet: commoda, quibus utimur fruimurque, à Deo immortalis omnia nobis dari, atque impartiri: quippe qui vitæ, salutisque nostræ auctor, & conservator est: cuius providentia mundus administratur: & consulitur rebus humanis & uniuersis, & singulis: à quo, tanquam perenni fonte, bona cuncta perpetuo quodam cursu ad homines promanant: vult profecto ille ipse Deus dominator rerum, pater diuini que, hominumque, vt Poëta canit: à nobis gratiam sibi aliquam, ac honorem haberi: & agnoscere nos, tuerique sanctissimam illam societatem: quæ prima nobis cum Deo est: cui nos natura primum conciliat: & cui merito prima debentur officia: quæ sunt pietas, religioque, & honesta de mente, ac voluntate numinis

nis

DE GRATITVDINE

nis opinio. Quumque natura nos obliget ad remuneranda beneficia: quid est tandem, quod Deo pro maximis, quæ in nos cumulate confert, beneficijs reddere queamus: quàm pietatis, & grati animi significationem: & vt Psalmus loquitur, laudis, atque gloriæ hostiam: qua nihil certè immortali Deo gratius aut optabilius esse potest. Qui etsi nulla indigeat laudum celebratione, ac prædicatione nostra: maximè is tamen hoc nostro delectatur officio: vt quum par huic gratia referri nequeat, quanta debetur: habeatur tamen à nobis tanta: quantam maximam aut animi nostri capere, aut linguæ exprimere possunt. Quid enim quæso melius & animo gerere, & ore promere, & calamo explanare possimus: quàm Deo gratias? quo nec dici quicquam breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest: vt D. Augustini verbis vtar: præsertim quum nihil tantoperè auerfetur Deus: quàm non omnibus patère ad se placandum, & colendum viam. Quod sanè illustre est testimonium, & certissimum argumentum amoris diuini: & piæ erga benè meritos reuerentiæ, atque obseruantia: & vt Chrysofomus ait, caput omnis boni, & fons omnis honestatis. Simus ergo in primis grati in Deum, non solùm in rebus secundis, sed etiam aduersis: in quibus hoc officium Deo præstare,

ORATIO

præstare, eximium & singulare decus est: adeo-
 que calamitatum ipsarum, & ærumnarum
 solatium maximum. Neque verò sibi vni so-
 lum Deus gratiam referre: sed etiam homines
 mutua inter se conferre officia: & vtrò citro-
 que beneficia collocare: & paria cum benefa-
 ctoribus facere mandat. Quòd & is, qui gra-
 tiam bene meritis nec reddit, nec habet: faci-
 le in ipsum Deum ingratum se exhibeat: &
 quòd ingrati animi crimen potissimum co-
 mitetur impudentia: quæ ad omnem turpi-
 tudinem egregius quidam dux, & auctor est:
 vt præclare docet Xenophon. Quo in loco
 Hesiodicum illud vulgò laudatur: quod ea-
 dem mensura reddere iubet, qua acceperis:
 aut etiam cumlatiore, si possis: in eoq; imi-
 tari agros fertiles: qui multò plus reddunt,
 quàm acceperunt: vt quò quisque honestiore
 animo est, eò cumlatiùs gratiam referre stu-
 deat. Nam vt agri Babyloniorum centuplum
 afferre fructum perhibentur: sic etiam hone-
 stissimus quisq; animus abundè, modò pos-
 sit, beneficia remetitur. Quanquam gratiam
 & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipso,
 quod habet, refert: vt commodè dixit ille,
 quicunq; dixit: pecuniam qui habeat, non
 reddidisse: & qui reddiderit, non debere: gra-
 tiam autem, & qui reddiderit, habere: & qui
 habeat, retulisse: auctore M. Tullio Cicerone.

Quare

DE GRATITVDINE

Quare diligenter cogitandum est nobis: quā
nam de nobis benè meriti sint: & benè me-
reantur adhuc: ne officio nostro desimus.
Cuiusmodi sunt, secundum Deum, paren-
tes, magistratus, praeceptores, patroni, tuto-
res, amici: qui sunt Dei ipsius veluti instru-
menta quaedam: per quæ nobis ipse benefa-
cit: quos qui negligit, aut contemnit: nefa-
rio impietatis crimine se polluit. Certissimū
enim, & verissimū illud esse puto: quod Iso-
crates ad Philippum Macedonē suauissimè,
eruditissimeque scripsit: Deum ita res huma-
nas administrare: vt nō ipse coram se vel pro-
speris, vel aduersis in rebus conspiciendum
hominibus, aut manibus contrectandū præ-
beat: sed eam potius mentem dare singulis:
vt vel cladibus vtrò citroque se afficiant: vel
cōmunes utilitates in medium afferant: cō-
mutatione officiorum. His igitur Dei siue
nuncijs, siue instrumentis omnibus, si minùs
ad referendam gratiam satisfacere possimus:
ad prædicandam certè, & habendam satisfac-
ere omninò debemus: vt si non remunera-
tione officiorum, at honorum, & amicitiarū
obseruantia fidelem ijs memoriam præste-
mus: eorumque beneficia & agnoscamus, &
prædicemus: vt per occasionem omnia liben-
ter facere velimus: quæ & illis, & ijs, quos illi
caros habent, vtilia, & grata fore videantur.

B Nam

ORATIO.

Nam vt nemo gratiarum immemor, gratus inuentus est: ita qui meritam alicui gratiam memori mente persoluit: & quod debet, si re ipsa nequeat, saltem voluntate ipsa alteri reddit: nequaquam ingratus habendus est: quã optima, secundum Chrysostrum, beneficiorum custos sit ipsa memoria beneficiorũ: & perpetua confessio gratiarum: qua nihil esse honestius, aut libero homine dignius potest. Sed & splendorem, pulcritudinemque huius virtutis ex eo facile estimare possumus: quod in ea maximè conspicuæ sunt duæ illæ præclarissimæ virtutes: nimirum iustitia, atque veritas. Nam vt veritatis est, fateri, plurimum ei te debere, cui multum debeas: ita iustitiæ est, paria cum benefactoribus libenter facere. Quod fit, vt duas maximas illas, atque hominis præstantia in primis dignas virtutes is colat: qui gratitudinis munus explet. Cõtrà verò nulla est fœdior, aut turpior in libero homine labe: quàm ingrati animi crimẽ: quo nec hominibus, nec Deo quicquam magis exosum, aut abominabile est. Quippe quod duo illa turpissima vitia in se completur: nempe iniustitiam, & mendacium. Nam beneficium acceptum non agnoscere: aut non acceptum ei referre, à quo profectum sit, mendacij est: non autem referre gratiam, quum possis, & quum benefactoris hoc postulet

DE GRATITVDINE

Studet necessitas, iniustitiæ, atque summi sceleris loco habendum est: quum & natura ad beneficiorum remunerationem omnes obligemur. Quæ causa est, quod apud Persas aduersus ingratos publicum iudicium constitutum fuit: qui si quem benefactori gratiam referre potuisse, nec voluisse cognouissent: in eum grauisimè animaduertere soliti fuerunt: quum eiusmodi hominem non solum Deum, sed & parentes, ac patriam, amicosque mirum in modum neglecturum iudicarent: propterea quòd impudentia cum primis ingrati animi comes, atque assecla esse videatur: magistra, & dux omnis turpitudinis: vt grauisissimus est testis Xenophon. Quo modo etiam Athenienses idem auctor testatur ingratos non quidem publicè accusare, aut in iudicium compellere solitos fuisse: sed omnibus honoribus indignos iudicare. Quos hac in parte, sicut in alijs plerisque, Romanos legislatores potissimum secutos esse videmus: quòd difficilimum fore putarent, in tanta hominum improbitate, quamlibet causam ingratitude, lege, aut iudicio persequi: quum eo modo nullum litium finem futurum prospiceret: quos tamè & ipsos sapièter non modo donationis reuocatione, ob donatarij ingratitude, legibus permisisse constat: verum etiam prudenter cõstituisse illud: vt libertum

B 2 patrono

ORATIO.

pàtrono, si aduersus eum ingratus sit, in seruitutē retrahere liceat: quo nihil bono viro indignius, aut contumeliosius cogitari potest.

Dixi de dignitate, atque præstantia eximia huius virtutis: ex qua fœditas, & turpitude vitij contrarij facilè apparet: dicam deinceps, quantum potero, breuiter: quàm sit virtus hæc vitæ humanæ utilis, atq; necessaria. Etenim si verum hoc est, vincula concordia esse beneficium, & gratiam: & si homines ita nati sumus, vt inter omnes sit quædam societas, & communicatio officiorum: quis non intelligit, nullum officium referenda gratia magis necessarium esse? Nam quid aliud quæso vitæ coniunctionem magis conseruat: quàm mutua officiorum collatio: & humanitas, beneficentiaque mutua: quæ omnes in se complectitur virtutes: quibus mutua inter se hominum officia diriguntur: & quæ sola vitæ cõmunis in se rationem continet. Siquidem natura ita comparatum est: vt homines, in quibus est ratio, & oratio, mutuò conuersentur: & mutua officiorum vicissitudine, ac commutatione vtantur. Homines enim hominum causa generati sunt: & vt diuinitus docet Cicero, proximè, & secundum Deum homines hominibus maxime vtilis esse possunt: adeò vt vita hominum mors potiùs, quàm vita nominanda esse videatur:

deatur:

DE GRATITVDINE

deatur: vbi referendæ gratiæ studium negli-
gatur. Nam officiorum vicissitudine fit: vt
maneat coniunctio ciuitatis: verumque est
Aristotelicum illud: τὸ ἀντιστοιχεῖν σώζει τὰς
πόλεις. Sublata autem hac officiorum vicis-
situdine, tollitur vitæ communitio. Neque
sanè cōstare homini ratio pietatis potest: ne-
que iustitiæ, aut veritatis vis saluari: nec debi-
tum honestatis conseruari: si virtutis huiusce
studium abijciatur: & si scedisima illa pestis
ingrati animi regnare cœperit. Quid enim est
pietas? nisi voluntas grata in Deum, & parē-
tes, aut eos, quorum egregia erga nos, patri-
amue merita extant. Qui sunt boni ciues? qui
bello, qui domi, qui de patria benè meren-
tes? nisi qui, vt Cicero loquitur, patriæ bene-
ficia meminerunt. Qui sancti? qui religio-
nem colentes? nisi qui meritam Deo immor-
tali gratiam, iustis honoribus, & memori-
mente persoluunt. Quæ potest esse iucundi-
tas vitæ, sublati amicitijs? Quæ porrò ami-
citia esse potest inter ingratos? Quis est no-
strum liberaliter educatus: cui non educato-
res, magistri, doctores, locus deniq; ille mu-
tus, vbi ipse alitus, atq; eruditus est, cum gra-
ta recordatione, in mente versetur? Cuius opes
aut tâta esse possunt, aut vnquam fuerunt: quæ
sublata memoria beneficij, & gratia diu con-
sistere queant? Equidem nihil tam proprium

ORATIO

hominis existimo: quàm non modò beneficio, sed etiam beneuolentiæ significatione alligari: nihil porrò tam immane aut ferum: quàm committere, vt beneficio non dicam indignus, sed victus esse videatur. Quo fit, vt non solùm pietatem, atque iustitiam, ceterasque virtutes omnes turpiter negligant homines ingrati: sed & naturæ, Deoq; ipsi bellum inferant: & iura diuina, atque humana nefariè violent: & morum feritatem, immanitatemq; naturæ, & vitæ suæ turpitudinem, ac denique omnia ad perniciem profligata, atque perditâ, maximo cum probro, & dedecore suo prodant. Quamobrè danda est opera omnibus: vt cum se omnibus virtutibus affectos esse cupiant: tùm nihil malint aded, quàm se & gratos esse, & videri: quæ vna virtus maxima, & laudatissima: & vitæ humanæ conseruationi accommodatissima: & Deo, ac hominibus longè gratissima est. Quòd si etiam vtilitate, & commoditate hanc virtutem metiemur: reipsa comperiemus profectò: maxima eam consequi præmia, atque emolumenta. Præclare n. Sophocles: Gratia (inquit) gratiam parit. Et Plautus: Quod bonis bene fit beneficium, gratia ea grauida est bonis. Cui respondet Publani illud: Beneficia plura recipit, qui scit reddere: Ingratus vnus miseris omnibus nocet. Nam vt

gratiæ

DE GRATITVDINE.

gratiae studium excitat beneficos: vt priora
semper cupiant beneficia cumulare: ita mala
gratia fontem beneficentiae celeriter exsiccat:
& quodam veluti obice obstruit: eoque ipso
sibi met, alijsque magnam facit iniuriam.
Quam ob causam M. Tullius ingratum ho-
minem comunem generis humani hostem
appellat: & Plautus improbum hominem
eum vocat: qui beneficium scit sumere, &
reddere nescit. Neque illud profecto iniuria.
Nam ingratus homo quonia omnia pietatis,
& humanitatis iura violat: & malignos ali-
os fieri sua malignitate docet: merito is pes-
simus, & nocentissimus habetur mortalium:
vt verum sit de eo, quod Aufonius, ex Me-
nandro, hoc modo protulit:

Ingrato homine terra peius nil creat.
Præterea penes gratos semper residet boni vi-
ri existimatio, & gloria, honestasque sempi-
terna: qua nihil homini preciosius, aut opta-
bilis accidere solet: contra autem penes
ingratos infamia, & labes nominis heret
perpetua: qua nihil bono viro grauius, aut
molestius haberi debet. Quod Mimus Pu-
blianus hoc versu confirmat: Dixeris maledi-
cta cuncta quum ingratum hominem dixe-
ris. Cui astipulatur Comicus Poëta: quum ait:

Ingrato homine nihil impensius est:

Malefactorē emitti satius, quàm relinquere
beneficum.

B. 4 Nimio

ORATIO

Nimio præstat impendiosum te, quàm ingratum dicier:

Illum laudabunt boni; hunc etiam ipsi culpabunt mali.

Quid? quod acerbis, tristibusque pœnis ingratos Deus persequitur: vt è diuerso gratos, & beneficiorum memores singulari cōplectitur beneuolentia: eosq; maximis ornat, augetq; honoribus. Quod quàm verum sit, & quàm certis iniustum notis experientia: declarat hoc primorum parentum è Paradiso expulsio: declarat mundi totius diluuium: declarat Sodomorum, ac Solymorum excidium: omnes denique calamitates generis humani abundè hoc declarant. Adeò verum est, quod sapientissimus rex Salomon scribit: Non recedet (inquit) malum à domo ingrati: quippe cuius spes, tanquàm hyberna glacies, tabescet: & peribit, tanquàm aqua superuacua. Quæ omnia quum animo diligenter considerarent homines sapientes: hoc vnicum sibi maximè cauendum, & prouidendum putârunt: ne in quenquam ingrati iure haberentur. Quorum ex numero fuisse Persas constat: apud quos præclara in hoc genere fuit consuetudo: vt eorum nomina, qui officij aliquid regibus præstitissent, in commentarios referrentur: quò per occasionem ijs meritam, debitamque gratiam persolvere liceret:

DE GRATITVDINE.

liceret: vt est apud Thucydidem. Exemplo esse potest Darius ille Persarum rex Hyftaspis filius: qui quum fastos aliquando regios perlustraret: & viro cuidam præstanti, de se suoque regno benè merito, nullam gratiam relatum intelligeret: continuò mandata dedit: quibus animum suum gratum atq; beneficium non modò coram aulicis in conuiuio, aut alio loco honorato: sed coram omni populo Susano, illustris præconis voce, & regia magnificentia testificaretur. Quo eodè animo, & gratiæ referendæ studio fuisse legimus Philippū Macedonum regem: qui mortuo Hipparcho Euboico: quum ingentem præ se ferret luctum: alio se consolante, ac dicente: satis hunc tempestiuè è vita decessisse, iam natu grandem: sibi quidem (inquit) tempestiuè fortassis decessit: sed mihi nimis præproperè: quippe quem mors anticipauit, nullo à me affectum beneficio, quo maximè dignus fuit. Magna profectò, & præclara vox: & tãto rege inprimis digna: qui inter omnia principum opera plurimi fecerit benè merèdi de hominibus studium: quo non modò officia, ac beneficia, tanquàm in lance trutinæ, æqualia æqualibus commutentur: sed Gratiæ ipsæ ingenuæ, nudæque, sine omni velamento externo: eademq; continuæ, mutuoque se complexæ porrigantur: cuiusmodi

ORATIO

Gratiarum decus rectè imperij coronam appellat Græcus ille vir sapiens. Quarum templum in propatulo olim veteres statuisse affirmat Aristoteles: vt prompta, & quasi obuia esset remuneratio. Id enim Gratiæ proprium est: quæ monet beneficia beneficijs compensare: idque vltro, & hilarè, sine spe lucri, aut cauponatione aliqua: neque villo modo fenescere, aut intermori debere in animis hominum accepti beneficij memoriam, aut recordationem. Equidem dantis beneficium est statim obliuisci: accipientis verò, perpetuò meminisse: vt rectè monet Menander:

Accepta memineris, data obliuiscere.

Quin immò non solum accepti beneficij meminisse: sed & acceptæ iniuriæ obliuisci: & sine discrimine omnibus benefacere debemus: si modò veri Christiani esse volumus: Deum fore sperantes remuneratorem omnium officiorum: quæ non modò ijs, qui iam profuerunt, aut quos deinceps speramus nobis profuturos: sed & his, quos inimicos aliquando, & ingratos iudicamus, à nobis quoquo modo præstita, aut exhibita fuerint. Quod fecisse legitur sapientes quosdam ex gentilibus: qui voluntatem, & studiū benefaciendi, ob malam sibi à vulgo relatam gratiam, minimè abiecerunt: sed vsque ad extremum vitæ halitum constanter retinuerunt: multo-
que

DE GRATITVDINE.

que beatius esse existimarunt dare, quàm accipere: & beneficio afficere, quàm affici. Quippe ex quo vera, & solida hominis voluptas, & delectatio oriatur: quum nullum sit certius felicitatis argumentum: quàm omnes beneficentia promereri: contra verò peruersa magnitudinis, & potestatis sit aestimatio, iniurijs vires metiri. Fecit hoc Themistocles ille Atheniensis: qui propter inuidiam in exiliũ missus; quum ab rege alieno, ad quem confugerat, ad bellum contra patriam sollicitaretur: maluit veneno, quod in calamo secum ferebat, vitam sibi abrumpere: quàm in armis aduersus ingratiã patriam stare. Quod idẽ laudi datur Aristidi, et Phocioni: quorum ille in exilio suo Deos precari solebat: vt Atheniensibus, quacunque optarent, benè fausteq; euenirent omnia: hic verò capitis damnatus: accepta cicuta: percunctandi cuidam, ecquid filio, qui peregrè aberat, nunciari vellet: Ne mortem (inquit) patris vlciscatur: neue occifores eius odio habeat. Quorsum igitur (inquiet fortasse quispiam) hæc omnis spectat oratio? Propter vos, **ADOLESCENTES**, propter vos inquã, adeoq; propter me ipsum potissimũ, omnia hæc commemoro: qui quum pietatis & virtutis studiosi haberi, & esse velimus: operam imprimis dare debemus: ne officio nostro hac in parte desimus: sed vt
reipsa,

ORATIO

re ipsa, & animo grati simus erga eos, qui de nobis benè meriti sunt: & si pro tantis eorum erga nos meritis gratias, quas debemus, referre non possimus: agamus saltem ijs, & honores habeamus, qui debentur: si modò Dei, hominumque caritatem obtinere: si iustitiæ, & veritatis laudem consequi: si societate hominum, coniunctionemque tueri: si præmia accipere, & pœnas effugere: si denique bonam famam bonorum, quæ verè sola gloria nominari potest, bonis rationibus colligere rectum putamus. Et quoniã, ut de me porrò aliquid dicam, multa & magna sunt scholæ huius illustris, in me non dico officia, sed beneficia: quorum vix ullam partem non modò referenda, sed ne cogitanda quidem gratia me consequi posse libenter agnosco, & fateor (Quæ enim maiora beneficia homo homini præstare potest, quàm doctrinam salutarem: qua non modò virtutis, sed & felicitatis æternæ compos fieri potest?) equidem rectè me, & omnino decenter facturum arbitror: si in hoc supremo discessu meo: quum parem bene meritis gratiam referre nequeam: saltem memoriam, benevolentiamque, quam debeo, vobis omnibus præstare studeam. Quumque acceptorum beneficiorum delectus habendi sint, et veluti quidam gradus seruandi: ut maximo cuique maxima debeantur: idcirco imprimis

Deo

DE GRATITVDINE.

Deo Opt. Max, cui meritò debentur omnia, optimas maximasque gratias ago, & habeo: quòd me ad imaginem suam conformare: quòd per filium redimere: quòd sancto suo spiritu ad cœlestem vitam regenerare dignatus sit: quòdque pios doctores Ecclesiæ, & scholæ huic Palatine dederit: in qua & verbo suo me edoceri: & bonis artibus erudiri: & honestis virtutibus excoli voluit: quò suo aliquando loco, & tempore fructus proferrem longè vberrimos, atque saluberrimos doctrinæ, ac religionis: toti societati humanæ, & vitæ communitati maximè profuturos. Proximas verò gratias ago Illustrissimo Principi, D, Philippo Ludouico, Comiti Palatino Rheni, & Duci Boiorum: Patri Patriæ, & scholæ huius Patrono: qui magna cura, & sumptu haud mediocri, præclaram hanc pietatis, & literarum officinam instituit: quæ homines magnos, & probos, beneque moratos gignat: quibus & Ecclesiæ salus, & Reipublicæ dignitas cara sit: quæ duo perpetuo quasi vinculo obstricta, florentem fortunatamque regionem efficiunt. Sed & non minores gratias ago, & habeo viris clarissimis, & doctissimis, scholæ huius præfectis, magistris, doctoribus, omnibus denique professoribus: quos tanquam progenitores, & nutricios meos libenter collo, atq; veneror: quòd nimirum in me à vi-
tiji

ORATIO.

tijs dehortando, & ad virtutes cohortando, & ab erroribus auellendo, & ad veritatem instituendo, omnem paternam caritatem & benevolentiam multis modis declararunt: quorum opera, ac studio in vitam meliorem sanctioremque; me quasi renatum: & ex primæ illius ignorantie caligine, ac tenebris, in lucem veritatis, & scientie productum esse, gloriari iure possum. Omnibus verò his iure te antepono, Rector Magnifice: cui immortalia me debere libenter profiteor: quippe cuius non modò conuictu domestico, sed etiam contubernio longè suauissimo, quandiu hinc vixi, usus sum: vt si te parentem, si altorem, si patronum meum appellem: sicut te merito tuo aliter appellare nec possum, nec debeo: vix satis digno & merito nomine te appellem: eaque de causa non minùs fortassis de te gloriari possim: quàm de suo doctore Aristotele olim gloriatus fuit Magnus ille Alexander: neque ~~minùs~~ de me, meisque fratribus in hanc lucem primò natis sibi gratulari debeat parens meus: quàm de nobis omnibus sub tua potissimùm disciplina, & institutione quodammodò renatis. Quod Philippum Macedonem, regem laudatissimum, fecisse scribit Agellius: qui nò tam de Alexandro filio sibi nato: quàm Aristotelis tempore nato, magnoperè sibi gratulatus fuerit: quum hoc modo futurum speraret:

magis

DE GRATITVDINE

ret: vt ab eo educatus, eruditusque; & se, & regni sui successione in primis dignus foret. Verum cui re gratia referri non potest: huic verbis non patitur res satisfieri: restat igitur, vt tibi me in omni re eum præbeam, præstè- que: vt si non tibi, at tuis aliquando pro virili inseruiam: quibus profectò ita me affuturum præstò spondeo, ac polliceor: vt me non solum omnia debere tua causa, quæ possum: sed ea quoque, quæ non possum, omnes intelligant. Postremò vniuersæ quoque iuuentuti scholasticæ: nominatim verò & præcipuè illustribus, & generosis Dominis, IOANNI GOTHARDO, & VVOLFGANGO HENRICO Streinijs, Liberis Baronibus Austrijs: cæteris item nobilibus, & studiosis consodalibus, & familiaribus meis: quos & cupidos mei, & gratiosos hætenus semper habui: magnas, & singulares ago gratias: cum pro amore, & officio erga me suo: tum verò pro societate studiorum, & communitate vitæ: quæ mihi quidem longè fuit suauissima, atque optatissima: vt nullum mihi aut amorem, aut honorem exhiberi potuisse dicam: qui ab his prætermisus sit. Promitto autem, & in me recipio: me, si vita mihi contigerit, & caritate, & beneuolentia vobis omnibus vicissim officium præstiturum: & si minùs re ipsa licebit: studio tamen, & conatu fortassis con-

ORATIO

sis consecuturum: vt, quæ vestra in me sint
merita, & quæ mea erga vos obseruantia,
quàm plurimi homines intelligant. Quod
reliquum est, AVDITORES: Deum Opt.
Max. precor: vt is vobis omnibus bene de me
meritis, quoniam hoc ipse facere nequeo, vi-
cissim beneficiat: suoque numine efficiat: vt
omnia consilia vestra, & studia salutaria sint
vobis, & Reipublicæ. DIXI.



AD

AD GEORGIVM
SEBASTIANVM STI-
barum, à Butenheim,
EQ. Francum

*Melos Propempticum, Tri-
colon Tetrastrophon:*

IOHANNIS ORTELII
CYGNOCOMÆI.

Hirsuta pigrū condit hyems caput:
Dū uicta molli nix Zephyro ca-
Frōdesq; dentatæ GEORGI dit:
Arboribus redeūt SEBASTE:
Pratisq; ruptis graminæ spitem
Tollunt in auras, mille coloribus
Pictum: nec ullis continetur
Grex stabulis, nec aues in umbris:
Ducitq; festos alma Venus choros:
Et læta nymphis carmina Gratia
Iunctæ canunt: nidosq; fugit
Sub trabibus luteis hirundo.

C Hinc

Hinc magna castris Aonidum tue
Patris uoluntas euocat: & lares
Te uult paternos, eruditum
Moribus ingenuis adire.

Non ociosos ut peragas domi
Soles diu: nec tempus inanibus
(Ceu stridulae cantant cicadae)
Delitijs tribuas inerter:

Verum amplioris spe sapientiae,
Magnoq; fructu, Gallica uisites
Ut regna: sic linguas, & artem
Iuris ut erudiaris æqui.

Quos inchoasti, si celeras gradus
In disciplinis: non dubito fore:
Quin copia prudente rerum
Exhilaras iterum parentem.

Sex namq; messes sic studia artium
Exercuisti libera: sic tuæ
Vitæ probasti integritatem,
Obsequiumq; tuis magistris:

Ut

Vt prosequantur te merita, & tuos
Nunc laude mores: prospera ut omnia
Captis tuis ex arce cæli,
Atq; tuo capiti precentur.

Hanc ergo laudem fac cumules: loca
Si nunc per agras extera: fac tuis
Vt sedulum impendas laborem
Artibus, & studijs honestis.

Quæ nobilem te præcipue decet:
Quæ digna patris stemmate sunt tui:
Quæ Christianam rem tuentur:
Et decorant patriæ salutem.

Fac diligentes numinibus preces
Fundas benignis: & fugias eos,
Qui negligentes, uel Cyclopes
Mete, hominesq; deosq; temnunt.

Qui poela nocturnis manibus rotant,
Et qui diurnis: qui cito peierant,
Christiq; diras imprecantur
Vulneribus, meritoq; summi.

C ij Hæc

*Hæc si cauebis : si studijs tuis
Tantum uacabis, si precibus sacrîs :
Virtutibus certè decorus
Pluribus in patriam redibis.*

*Tectis Deorum magna penatium
Imperties sic plurima gaudia,
Ex gloria parta labore
Assiduo, uigilantiq;.*

*Ito ergo, quò te fata suo trabunt,
STIBARE, nutu:uerim auibus bonis
Ito : Dei tutus supremi
Præsidio, auspicioq; læto.*



IOAN.

IOAN. FRIDE-
RICI SCHERTELI-
NI A BURTEBACH.

Viximus vnanimes, concordēs viximus ambo
Haftenus: ingenij cultor vterque sui.

*Et schola nos eadem vidit simul, & domus ambos,
Porticus & junctis, vnaque mensa, locis.*

*Diuidimur nunc ambo locis: sed corpore tantum
Diuidimur: tibi mens, & mihi semper adest.*

I sospes, variosque via circumspice casus:

Sis memor, oro, mei: sum memor ipse tui.



IOAN. HENRI-
CI SCHERTELI-
NI A BURTEBACH.

Dum patriam reperis, mox Gallica regna,
(GEORGI,

Patre subiturus nempe volente tuo:

Te tot ego votis abeuntem prosequor vltro:

(Sim quamuis abitu tristis, amice, tuo)

Quot videt aër aues: quot flores terra reducit

Vere nouo: pisces amne quot Ister habet.

LE

LECTORI BE-
NEVOLO GEOR-
GIVS KIRCHMAIERS,
*supremæ Curia Moderator in Scho-
la Lauingana.*

S. D.





GEORGIVS SEBA-
stianus Stibarus, Eques
Francicus, quinquenniū
amplius in hac schola
nobiscum versatus est: in
mea verò classe, & disci-
plina integrū ferè bien-
nium. Quo equidem tempore optimis di-
sciplinis, atque artibus ita studuit: vt, quantus
ardor, quantaque discendi cupiditas in eo es-
set, facile intelligerem. Quumque eo animo
esset: vt doctrinam, absque vitæ, ac morum
integritate, bonis, & liberalibus ingenijs in-
dignam iudicaret: non turpiter, ac flagitiosè
vixit: sed ita domi, forisque se gessit: vt ho-
spiti suo gratus: præceptoribus acceptus: cō-
discipulis jucundus: ciuibus carus: nulli
molestus esset. Quibus equidem rebus ad-
ducor: vt eum aliquando (si tam feliciter ali-
bi curriculum studiorum suorum cōfecerit:
quàm apud nos iam pridem cœpit) magno
& emo-

& emolumento, & ornamento Reipub. futurum esse, mihi penitus persuadeam. Quamobrem omnes bonos, ac literatos viros, cuiuscunque ordinis sint, aut conditionis, maiorem in modum rogo, & obtestor: ut nobilem hunc adolescentem favore, benevolentia, humanitate, omni denique officiorum genere prosequantur, & juvent, quocunque poterunt modo, & ratione. Nec dubitent, quin officia, & studia sua, qualiacunque fuerint illa, cum apud gratissimum hominem, tum adolescentem optimum bene posituri sint: Deoque Opt. Max. rem pergratam facturi. Lauingæ ad Danubium. IX. Kal. Martij
M. D. LXX XI.




L A V I N G Æ
Per Leonhardum Rein-
michælium.





RELIQUIA
opusculi





REUSM
OPUSCUL







Th
5859